

133. Nam ne excusatione sua (de Christiana Religione sibi Sermonem non esse) utatur auctor, finis Capitis facit, in hæc verba. „ Neque debes mirari, „ si inde ab initio primæ stirpis „ Regum Francorum vides Episcopos arbitros judiciorum, „ insertos comitiis Nationis, si „ tantum influunt in decreta regum, & si tantum ipsis adjicitur prædiorum. „ Quare non debes mirari? quia illo tempore & natio & reges Francorum Barbari fuerunt, hoc est Pastores. Nam „ Inter populos feros & „ barbaros hoc est discriminis, „ quod priores ordinarie sint „ venatores, alteri pastores, „ dicit auctor Cap. XI. Libri hujus XVIII. Loquitur ergo non tantum de Religione Christiana auctor sed etiam quibusnam populis ea conveniat pulcre docet, nempe Barbaris. Igitur tum Galli incipient esse homines politici, civiles, comes, honesti & bene eruditi cum Sacerdotibus abripiant prædia, cum Episcopos è comitiis ejicient. Quod cum Galli, cum Germani, Angli, Sueci aliique adhuc non fecerint, Barbari adhuc sunt Galli, Barbari Germani. Exterminatis autem Sacerdotiis num lætior sit reditura facies, hujus non est loci exquirere. Paulus vo-

lebat de Altario vivere. Apage Paule à Gallis; non sunt Barbari Galli, qui Sacerdotibus tribuant. à Tartaris hoc exige & Irokis.

II.

De Spiritu Legum qui dicitur nasci in naturalibus ingenii humani.

134. Auctor Libro decimo nono hanc telam orditur, eique hunc titulum præfigit: *De Legibus in respectu, quem habent ad Principia, quæ formant Spiritum generalem, mores & modos alicujus nationis.*

Plura hic inter se distingui debent, si vel parum soliditatis (justesse d'esprit) hic titulus habet. Aliud enim sunt *Leges*: aliud sunt id quod leges habent, nempe *respectus*: aliud sunt id ad quod est respectus, nempe *Principia* formatricia: aliud sunt id quod per principia formatur, nimirum *Spiritus generalis*. De ceteris autem addubito, num ea distinguat auctor, & quomodo? modica enim qua semper utitur ratiocinandi & sermonem effrendi accuratio semper suspensos nos habet. *Spiritus generalis, mores & modi nationis* si sint res eadem nescio.

Di-

Distinguere ea videtur Cap. IV, ubi elegantem & accuratam suo more definitionem spiritus generalis edit. In titulo enim capituli quærit: *Quid sit spiritus generalis?* & mox promittit hanc definitionem: *Pluribus à rebus homines gubernantur, à Climate, à Religione, à legibus, à regulis, maximis Regiminis, ab exemplis rerum ante-actorum, à moribus, à modis: ex quibus formatur spiritus generalis inde resultans.*

Hinc patet ab auctore distinguui spiritum generalem à moribus, modis, legibus, maximis &c. tanquam effectum à causa. Item distinguui inter se mores, leges, modos; quia si non distingueret, hæc non essent *plura*, sed *unum* quod gubernat homines.

Patet hinc etiam, auctorem reliquisse intactam illam quæstionem, quam in titulo proposuerat, nempe *quid sit spiritus generalis?* Nullo enim ne verbulo quidem definivit spiritum generalem, sed solas enumeravit causas, è quibus oritur spiritus legum. Usque hodie igitur per auctorem nescimus, quid sit spiritus generalis nationis. Hoc autem ignorato, quomodo possumus leges nostras huic spiritui conformare? Ex hoc fiet, ut alius hoc, alius aliud pro spi-

ritu generali habeat, legesque eidem conformare studeat: qui omnes ad contraria & contradictoria sæpe tendentes, quomodo verum spiritum legum attingent? ad hoc autem aberrationis periculum deducuntur eleganti sed non solido auctoris ingenio.

135. Ut si quis ex me quærat quid sit summum bonum? egoque ei respondeam: variis rebus homo demulcetur, temperata aura, vino, venere, virtute, opibus; ex quibus formatur unum bonum generale, quod inde resultat. Ex hac inquam definitione neutiquam ego discerem quid sit summum bonum, sed causas tantum ex quibus bonum nescio quod summum crearetur. Egoque ex hac doctrina manerem indifferens ad summum bonum in aliquo horum constituendum, nempe aut in Venere cum Epicuro, aut in vino cum Aristoxeno, aut in opibus cum Euclione, aut in omnibus istis simul sumptis.

136. Videtur autem auctor neque in his simul sumptis, neque in eorum effectibus constituere Spiritum generalem, sed in illis divisim, sive in alterutro eorum, ita ut spiritus generalis alias consistat in moribus, aliàs in climate, alias in religione. Ait enim

G 3

enim

enim mox postea: „ Quantum
 „ in unaquaque natione una ista-
 „ rum causarum fortius agit,
 „ tantum alteræ eidem cedunt.
 „ Feris hominibus fere sola na-
 „ tura & clima dominantur: mo-
 „ di ac ritus gubernant Sinas:
 „ Japones subjugantur à legi-
 „ bus: Lacedæmonis vim efficie-
 „ bant mores &c. Itaque spiri-
 „ tus generalis jam est lex, jam ri-
 „ tus, jam mores, jam clima.

137. Verum hæc divisio abun-
 dans est. Solum enim clima, ex
 auctoris anteriore doctrina isto-
 rum omnium causa est: vitiose
 itaque ponuntur cetera in divisio-
 ne, quæ in primo jam membro
 continentur omnia.

In superioribus Num. 71. &c.
 vidimus, per auctorem formari
Caracterem, hoc est Spiritum nationis,
 à climate cutem & fibras
 laxante vel stringente. Cur Indi
 incapacem spiritum ad om-
 nem conatum habent? clima il-
 lum fecit. Cur iidem Indi auda-
 cissimi sunt spiritus ad mortem
 crudelissimam subeundam? spi-
 ritum hunc priori contrarium
 idem tamen clima generavit.
 Cur Orientales sunt Mahumeta-
 ni, neque possunt religionem
 mutare? Clima posuit fixitque
 religioni terminos. Cur Euro-
 pæi Christiani, neque Mahume-
 tem audiunt? Clima superare

Mahumetes nostrum nequit, &
 Christus non superare clima Asia-
 num. Cur Anglis grave est exi-
 stere? clima succos non filtrat,
 & machinam omni momento sine
 actione facit esse. Cur iidem
 Angli omni momento in conatu
 & actione sunt ad vetera amo-
 venda, nova obtinenda? quia
 clima quod fecerat machinam
 omni momento nihil agere, ean-
 dem facit omni momento multa
 moliri. Igitur ex climate venit
 religio, ex climate mores, & ut
 verbo dicam ex climate resultat
 caracter, qui forte idem, est quod
 spiritus generalis. Cum igitur
 auctor inter causas spiritus nume-
 rat mores, religionem &c. nume-
 rat ipsum effectum pro causa:
 mores enim sunt effectus seu ip-
 se spiritus generalis, & nihilomi-
 nus ab auctore numerantur inter
 causas spiritus. Elegans ingenium,
 sed nihil solidi.

138. Quapropter etiam per-
 peram differentia inter feros ho-
 mines & alios hæc statuitur,
 quod *feri* à solo fere climate tem-
 perentur & ducantur, alii à mo-
 ribus. Clima enim fecit mores:
 igitur qui moribus reguntur, ii-
 dem reguntur etiam climate.
 Ipseque auctor Cap. XIV. ait:
 „ Imperium climatis est primum
 „ omnium imperiorum. Et Cap.
 XXVII. fatetur, magnam partem
 legum,

legum, morum & modorum na-
 tionis Anglicæ productum esse à
 climate. Idem alibi de Sinensibus
 & de omnibus populis do-
 cet.

139. Et Cap. VIII. „ Clima,
 „ quod nationem facit amantem
 „ conversationis & communica-
 „ tionis inter se, facit eam amaa-
 „ tem etiam mutationis; atque
 „ id quod facit nationem aman-
 „ tem mutationis, facit etiam
 „ ut ea natio sibi formet gustum
 „ & caracterem. Cum igitur
 clima faciat caracterem, caracter
 faciat mores, leges, gubernatio-
 nis modum & omnia etiam apud
 nationem Gallicam, de qua ibi-
 dem auctor non obscure loquitur;
 sequitur, aut differentiam
 illam inter nationes feras & ce-
 teras non esse, aut Nationem
 Gallorum hodie esse nationem
 feram, quia natio Gallica à solo
 fere climate pendet. Clima fe-
 rorum facit eos vivere sine mul-
 tis legibus; clima Gallorum fa-
 cit eos vivere sub multis legibus,
 eademque identidem demutare
 una cum moribus. Utrique fe-
 ri sunt; climate potissimum re-
 guntur. Aut potius inanis est
 auctor ficulneisque fundamentis
 rem omnium gravissimam, *Spiri-
 tum* inquam *legum*, inædificat, nec
 eleganti ingenio potuit jungere
 soliditatem illam in tractatu de

jure & legibus necessariam. Ju-
 ris enim elegantia non in vivaci-
 tate imaginationis, non in torna-
 tis verborum antithetis consistit,
 sed in solida quadam æqualitate
 & necessaria connexione inter
 verum principium & optimum fi-
 nem.

140. Capite XII. agit de riti-
 bus & moribus in statu Despoti-
 co. Sicque habet: „ Capitalis
 „ hæc esto maxima: nunquam
 „ mutandos esse ritus & mores
 „ in Statu Despotico. Parum
 refert, boni sint mores an mali,
 nunquam mutandi sunt, atque
 hæc est regula maxima & Capi-
 talis. Nunquam Mexicanorum,
 & Peruvianorum mores, sacrificia
 humanorum corporum, alia-
 que mutanda fuerunt. Nun-
 quam debet mutari polygamia
 Turcarum, nunquam atrocitas
 Japonum. Ut quid ita? quia
 est maxima Capitalis: in statu
 despotico nunquam esse mutan-
 dos mores. Ecce hæc est ma-
 xima? reddit rationem: Quia
*nihil ita prompte post se traheret re-
 volutionem, hoc est mutationem re-
 giminis.* Quid vero deinde? Le-
 ges debent habere respectum ad
 regiminis modum: Si mutaren-
 tur mali mores, mutaretur regi-
 minis modus, & cælum rueret.
 Igitur ne despotismus mutetur,
 mali mores tolerandi sunt, quin-
 imo

imo leges debent habere respectum ad malos mores conservandos, ne despotismus mutetur. Mores enim sunt *Spiritus generalis*, Leges tantum *Spiritus privatus*, uti auctor paulo post ait, & pergit, *satis esse noxium mutare spiritum generalem* (qualis qualis sit) *minus noxium mutare spiritum privatum sive leges*. Non potuisset graviora praecepta, nec Solon edere, nec Socrates, si superis placet.

141. Regulam autem suam de moribus in statu despotico non mutandis, inanem esse, & metum supervacuum de mutatione regiminis aut revolutione, inde secutura, statim altero post Capite XIV. videt auctor in exemplo Russorum. Horum enim mores mutavit imperator Petrus quasi subito, & eo modo mutavit, quem auctor plane non probat. Neque tamen ex hac mutatione secuta est revolutio, ut regula auctoris volebat; sed Russorum imperium est, ut erat antè, despoticum.

142. Eodem vero capite etiam addit, *facilem* quoque fuisse apud Russos mutationem, non obstante sua regula maxima.

Sed ne hoc sine causa dixisse videatur, causam facilitatis affert clima. Mores enim Russo-

rum antiquos fuisse mores extraneos, aliunde apportatos, nimirum ex Asia. Contrà vero mores per Petrum introductos fuisse mores intraneos, nempe Europæos: itaque à Russis tanquam Europæis facile susceptos fuisse mores Europæos; quippe suo climati proprios: & mores veteres tanquam alterius sive Asiatici climatis facile cessisse moribus Europæis: atque addit:

„ Imperium climatis est *primum* „ omnium imperiorum „: hoc est, ex vi sermonis Gallici, est *præcipuum*. Num Moscoviæ climati magis convenient mores Gallorum quam Asiæ haud facile dictu. Neque hoc est ita cogitatu facile, quomodo linea illa, quæ Asiam Europamque ex Geographorum placito discernit, ita efficaciter etiam discernat mores: præcipue cum Moscovia in eadem ipsa linea jaceat, videaturque adeo non magis Europæ quam Asiæ vicina esse, & mores tam facile accipere posse à vicina Asia, quam à multum remota Germania, & adhuc remotiore Gallia. Sed nemini hoc mirum videbitur, qui expenderit, hunc respectivum auctorem præcipuum Climatis Imperium sub jugum suum ita mississe, ut pro ipsius lubricine ex eodem climate omnia contraria nasci debeant, quod pau-

paulo supra satis ostendimus Num. 137. 71. &c.

143. Quantam autem vim relinquat hic auctor veræ justitiæ, tum ex aliis locis multis patet, tum ex libri vigesimi tertii Capite XXI. ubi Puffendorffiana fundamenta plane sectatur. Refert ibi, quomodo Augustus legem tulerit *Juliam* de matrimoniis ineundis. Deinde reprehendit sanctos Patres Ecclesiæ, qui censuras aliquas in eam legem ediderunt: dicitque, illos hoc fecisse *haud dubie bono Zelo pro rebus alterius vitæ, sed valde modica agnitione rerum hujus vitæ*. Ex quo pronum est inferre, modo huic vitæ tantum videatur convenire aliqua lex, hoc ipso justam esse & irreprehensibilem, tametsi alteri vitæ non subordinetur; quod est ipsum Puffendorffii dogma, *Jus naturæ tantum ad hanc vitam pertinere*, Christianam religionem tantum ad alteram.

144. Fateor, eam quoque legem ordinarie non esse bonam, quæ res hujus vitæ plane excludat; quia hominum status tam præsentem hac quam futura vitam constat; igitur generatim loquendo utrique vitæ convenire lex debet. *Quandoque* autem hujus vitæ res plane negligi, contemni, relinquique debent, si ea impediant res futuræ vitæ. Id quod

fecere martyres. Ideo enim injustæ fuere leges persecutorum, quia, tametsi res hujus vitæ viderentur promovere, non tamen conveniebant rebus alterius vitæ. Ex quo manifestum est, primum ac verum justitiæ fundamentum non in ulla re hujus vitæ situm esse, sed in altera: eosque malo spiritu duci, qui nulla justitiæ momenta agnoscunt, nisi ea, quæ ex climate, cæno, cute & stercore derivantur.

SS. Patres ideo censuram in leges Julias tulerunt, quia & in quantum eæ possunt obesse alteri vitæ tanquam vero justitiæ veræ fini. Auctor hic confitetur, ipsos pro altera vita sollicitos fuisse, negat tamen per hoc eos ad veram justitiam & ad verum spiritum legum penetrasse, quia res alterius vitæ deberent regulam accipere à rebus hujus vitæ, id quod sancti Patres ignoraverint.

Nam hanc illis ignorantiam tribuere auctorem pene certum est. Non enim dicere potest auctor, sanctos Patres revera ignorasse res hujus mundi: vivebant enim in hoc mundo; magnam judiciorum civilium partem ipsi obibant, ut alibi observat auctor & hanc rem barbaram dicit. Restat ut aliquid aliud auctori displicuerit in sanctis Patribus,

tribus, nempe hoc quod diximus, quia Patres contendebant, res hujus vitæ debere subordinari rebus alterius vitæ. Quod quia auctori spiritum legum in gleba & stercore ponenti non placet, sancti Patres ipsi ignorantes sunt; quemadmodum Puffendorffio, & in universim heteroxis nostræ Germaniæ, Catholici nostri Juris naturæ doctores habentur ignorantes propterea, quod Religionem & alterius vitæ scopum non tantum proponant in jure naturæ, sed eum etiam rebus hujus vitæ præponant. Hoc ajunt esse gravissimum peccatum contra jus naturæ, utpote quod ad hanc tantum vitam pertineat, alteramque vitam excludat. Eodem modo hic auctor peccasse criminatur Patres, qui *spiritum legum* in rebus alterius vitæ quæsierint, resque hujus vitæ illis subordinaverint: se vero putat sapientem & spiritu legum turgentem, qui re ipsa *excluso omni respectu* ad alteram vitam, spiritum, animam, essentiam legum per alembicum extraxerit ex climate, papillis cutis, succo machinæ & vilissimis quibusque *hujus tantum vitæ* quisquiliis.

145. Ceterum ut aliàs, ita hic quoque auctor facit excusationem seu protestationem, sed in-

utilem, quia actui contrariam. Sub finem nempe hujus 21mi capituli inquit: *Absit ut ego hic adversus celibatum loquar, quem religio adoptavit*, vultque videri contra eum celibatum se loqui quem libertas & libido induxit apud quosdam.

Verum inania hæc plane sunt, quia omnia quæ antea dixerat, manifeste produnt, contra eundem ipsum celibatum loqui auctorem, quem celibatum religio Christiana non *adoptarat*, ut imperite loquitur auctor, tanquam prolem alienam, sed quem virgo Christus in suamet virginitate consecraverat.

Nam cur irridet auctor sanctos Patres, qui legem Julianam ad censuram vocaverint tantquam zelosi quidem pro vita æterna, insipientes autem pro hac vita caduca? An zelus Patrum pro *celibatu fornicario* pugnavit? & hoc si fecissent possent ne dici bono zelo pugnavisse pro vita æterna? Pro celibatu imo sacro, religioso, & *Christiano* pugnarunt: & ob hoc meruerunt irrideri ab hoc auctore. Igitur hic auctor contrarius est & esse vult celibatui sacro quem religio consecravit. Et nihilominus ut decipiat incautos & meritam reprehensionem effugiat, miserabilem hanc excusationem sibi

sibi parat: ut qui colaphum tibi impingens diceret, se non tibi sed adversario tuo injuriari velle.

146. Deinde eodem capite post *laudatam* legem Julianam longo ordine pertractat leges alias eidem Juliæ contrarias adeoque *illaudabiles*. Quænam autem illæ? Primo *aliquod Philosophorum, qui jam in Imperium Romanum induxerant spiritum fugientem negotia*. Hinc *nata esse quandam ideam perfectionis* (eam haud dubie auctor falsam ideam esse credit, qui ideam contrariam laudat) *connexam cum omni, eo quod ad vitam speculatricem ducit*. Hinc quoque *ratam alienationem ab curis & impedimentis familia seu matrimonii*. Pergit deinde statim auctor. *Religio Christiana veniens post philosophicam stabilivit, ut ita dicam & immobiles reddidit has ideas, quas philosophia non potuit nisi tantum preparare*. Hic, nisi fallor, auctor declarat, quid per *adoptionem* supra memoratam intelligat: nempe Philosophia gentilis excogitavit imaginariam aliquam perfectionem latentem in celibatu, quam tamen auctor falsam credit, quia contrariam legi Juliæ, & scientiæ hujus mundi. Religio Christiana, hoc est Christus religionis hujus auctor, id quod à philosophis gentilibus di-

dicerat *adoptavit & stabilivit*. Philosophi ignorantes fuerunt rerum hujus vitæ, eo quod perfectionem aliquam latere in celibatu suspicarentur: eodem modo ignorantes fuere sancti Patres, quod legem Julianam aliquo modo reprehenderint. Sed Christus necessario ignorantissimus fuit rerum hujus mundi, qui ideam perfectionis celibatus à philosophis tantum præparatam omnino complevit & *immobilem* plane reddidit. Dolet hæc immobilitas auctori, qui pro grandi sua hujus mundi sapientia metuit interitum hujus vitæ, si celibatus perfectionis ideam gerat. Sed gratiæ Deo, quod *immobilis* sit hæc idea & duratura, quidquid hic aliusve auctor climate quocunque turgidus ex cutis suæ imperio contradicat.

147. Plura deinceps in eandem sententiam dicit de celibatu, quem Christiana religio adoptavit. Dicit enim: *Christianismus characterem suum communicavit Jurisprudentiæ Romanæ Certum est, mutationes legum* (interque has Juliæ) *quas fecit Constantinus, factas esse secundum ideas respectum habentes ad stabilimentum Christianismi, aut secundum ideas sumptas ex perfectione ejusdem Christianismi Ex idea, inquit, perfectionis Christianæ PRÆCIPUE*

Sumptæ sunt illæ leges, per quas Constantinus sustulit pœnas legis Papiæ seu Julæ, iisque pœnis exemittam omnes inuuptos, quam etiam nuptos prole carentes Principia religionis semper summum influxum habuerunt in propagationem speciei humanæ. Interdum hæc principia propagationem promouerunt, ut apud Iudeos, Mahumetanos, Chebras, Sinenses. Interdum principia religionis propagationem impediverunt, ut apud Romanos, postquam Christiani facti sunt Addit deinde etiam Sarcasum, dicens: *Non desierunt* (Patres haud dubie, quos ante irriserat) *prædicare Continentiam, hoc est istam virtutem, quæ perfectior est PROPTEREA, quod ex natura sua à valde paucis hominibus exerceri debeat.* Duplex hic irrisio. Primo perfectionem virtutis consistere in paucitate: sic enim etiam homicidium dicam perfectum, quia per naturam suam debet à paucis, imo à nemine exerceri. Adhæc prodit hic auctor, contra celibatum Christianum se loqui; non enim placent illi prædicationes continentiæ. Quare? quia hæc virtus debet à valde paucis exerceri, idque ex natura sua. Itaque qui passim prædicant continentiam, agunt contra debitum & contra naturam propagationis speciei humanæ & contra legem.

Denique post alia plura semper de Christiano celibatu improbata, concludit: *Eadem ratio spiritualitatis seu perfectionis spiritus* (quam videtur tantum pro imaginaria habere auctor) *quæ spiritualitas fecerat permittere celibatum, paulo post imposuit necessitatem celibatus.* Hisque dictis mox subiungit illam excusationem: *Absit ut ego hic loquar contra celibatum, quem adoptavit religio.* Aut oblitus est auctor ejus halitus, quem mox ab ore emiserat; aut stultos nos existimavit omnes, qui de celibatu Christiano manifeste dicta habere debeamus pro dictis de celibatu non Christiano, sed fornicario.

148. Ex his conjecturam capias licet, quam parum fidei auctoris excusationes mereantur: quam parum solidi subfit ingenio huic eleganti & bello spiritui: quam recte dixerit Apostolus, *sapientia hujus mundi stultitia est apud DEUM:* Quam audacter cum heterodoxis iste auctor Christianam Religionem commodis hujus vitæ cum Puffendorffio substernat; quam bello ipsi cum Pagenstechero conveniat, qui principium juris totius naturæ positum in eo existimat: *Crescite & multiplicamini.* Quam pronum sit denique ex hujus auctoris placitis eruere id ipsum, quod hetero-

terodoxi contendunt, Christianam Religionem ex Jure naturæ, & consequenter ex administratione reipublicæ eliminandam esse, hancque gerendam esse sola ratione, rationem autem in solis hujus vitæ rebus, in climate in nervis, in luto absorptam dominari; risui contra haberi qui zelo alterius vitæ ducti petant leges humanas tales ferri, quæ perfectionem virtutis non impediant, neque in respectu ad sola misera commoda hujus vitæ conquiescant, sed vel maxime rationibus æternis ferviant: præcipue, si eæ leges à Christianis Principibus feruntur, Christi servis, tametsi hominum dominis.

III.

De Spiritu Legum quantum ad Religionem.

149. Auctor in Defensione sua censori suo vitio vertit, quod censor putaverit, Religionem Christianam & alias ab auctore tractatas fuisse tanquam à Theologo: Cum tamen ipse auctor in limine libri vigesimi quarti conceptis verbis professus fuerit, *se in hoc opere non esse Theologum, sed scriptorem politicum, & considerare diversas Reli-*

giones tantum in ordine ad bonum, quod pro statu civili ex illis derivatur.

Verum non omnis excusatio pondus habet. Sunt enim excusationes quædam excusationum in peccatis. Puffendorffius quoque prætexuit excusationem, suum jus naturæ tantum pertinere ad statum aliquem fictitium hominum, qualis neque sit, neque esse unquam possit; nihilominus tam ipse quam ejus discipuli præfracte contendunt doctrinas ipsius pro hoc moderno statu valere.

Wolffius quoque excusat, se per hoc, quod Jus naturæ abstrahendo à DEO statuat, non tollere necessitatem colendi DEUM; imo se eam necessitatem plane summam adstruere, adeo, ut naturam humanam exuere debeat, qui DEUM non colat. Sed & hæc excusatio vana est, quia necessitas talis Physica tantum est, juriq; naturæ extranea. Unde sequitur, eum nullam ostendere posse necessitatem moralem seu obligationem colendi DEUM, atque adeo Atheis lectulum sternere, & excusationem necquicquam valere.

Idem huic auctori accidere, atque rursus protestationem actui contrariam eum facere, quæ nihil operetur, jam ostendendum est, hæcque excusatoria arx e-